BARTHOLOMAEUS DE MONTAGNANA

Salzburg, 1471 Seite 258r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8258
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

De CCxxxiiij lepra

cacione insensibilem Secundum fuit
evacuare eas per regiones con-
venientes Tercium vero dictum
fuit per vomitum ¶ Quartum
principale divertens materias
melancolicas est cum apertione
venarum emorroydalium Si enim
homo consuetus esset earum
habere fluxum tunc statim
apiende sunt si restricte fue-
rint Et adhuc si nunquam
consuevisset habere ipsarum
apertionem, et appareret in ypo-
cundrio sinistro tumor ten-
sio aut gravitas in alkatin
et in sentiri pondus manuum
et tumor in circulo ani, et
super ipso per quatuor digitos
statim intendatur ad ipsare
apertionem altero .vi. modorum
¶ Et primus quidem modus est
fricando eas secundum gravitatem
cum foliis fici aut cum foliis
consolide maioris Secundus est
modus faciendo enntatisma
in aqua decoctionis apii et
nigelle calida Tercius mo-
dus est fricando eas cum pan-
no bisello infuso in felle
thauri cum tepidum Quartus
modus et fortior est fricando
eas post expressionem intes-
tini ab extra cum subtili
pulvere euforbii Quintus est
supponendo intestino recto
ventosam parvi orificii Sex-
tus modus est ut non conferen-
tibus aliis exprimatur intes-
tinum voluntario motu ad extra
deinde cum flebotomia aperiatur
una vel due vene que ap-
parent magis tumescentes
et nigre Educatur ergo quan-
titas sanguinis tanta ut de
opaco permutetur ad clarum et
de grosso ad minus grossum.

Et si talis venarum apertio
administretur quater in anno
secundum revolutionem quatuor
temporum anni tunc optimo iu-
vamento conferret Si autem
uno opere et sciencia tercio
maius appareret dominium
plenitudinis in partibus capitis
tunc magis conveniens esset
aperire venas nasi titillando
in ipsum cum palea vel festuca
vel cum setis porcinis vel cum
extremitatibus herbe, quam
euganei vocant capaneo-
leam et est in rei veritate
poligonia vel corrigiola
dicta planta sive hoc fiat
ad punctione in partibus nasi
sive virtute sua electiva sang-
uine ab eis ducit ut multi
credunt propter quod ab eis sang-
uinaria planta nominata est
Et gratia complementi sermonis
ad hanc intentionem conveni-
ret apertio menstruorum in
muliere leprosa existente ¶ Pe-
nultimum instrumentum diver-
sionis est melancolitatem mensium
eductio per vias urine et licet
pauca ab illustribus viris
inveniantur medicamina meo
racta que materias melancolicas
electiue precipitent per vias
urine precise et non etiam per
ventrem, tamen semper vidi quod
si detur ℥ j vel v aque de-
coctionis epithimi in potu ante
prandium et cenam mingere
facit urinas nigras et me-
lancolicas ¶ Secundum vero re-
medium est succi apii in potu
dare ℥ iij in aurora ¶ Tercium
remedium est exhibere ℥ iij
succi vel decoctionis orobi le-
tisti ¶ Quartum remedium est de-
coctio pulveris lapidis lazuli.

Capaneola
poligonia
Corrigiola } id est
sanguinaria

258
234